



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio CXVI. De gratiâ necessariâ ad perseverandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CXVI.

De gratiâ necessariâ ad perseverandum.

SECTIO PRIM A.

Vtrum justus egeat nova gratia præveniente supernaturali ad singulos actus supernaturales.

I.
Gratia præveniens est in duplici genere.



NOTANDUM, gratiam prævenientem duplicem esse; alia enim est purè præveniens, quæ scilicet est inspiratio omnem alium actum supernaturalem antecedens, alia est præveniens partim, partim subsequens. Sic actus Fidei est subsequens respectu inspirationis, mediante qua efficitur, & præveniens respectu alterius actus supernaturalis, qui ex eadem Fide oritur, actus nimirum charitatis, & similibus.

II.
Pro diversis occasi-
bus diversa
sunt gratia
prævenien-
tes.

Notandum præterea, pro diversis occasionibus diversas esse gratias prævenientes, aliquod enim inspirationis genus est, quod merè ad hoc deservit, ut possit quis actum supernaturalem elicere, quam proinde gratiam prævenientem in homine innocente, & Angelis ponunt multi Theologi cum Suarez lib. 5. de Angelis, cap. 9. & videtur mens sancti Augustini lib. de correptione & gratiâ, cap. II. ubi ait, Deum primò homini dedisse non solum naturam rectam, seu donis omnibus & gratiis habitualibus instructam, sed præterea adiutorium ei gratiæ concessisse, quo si voluisset, perseverare in iis potuisset: per hoc autem adiutorium, manifestum est S. Augustinum intelligere, non gratiam habituale & habitus infusus, cum expressè illud ab his distinguat, & datum fuisse dicat, ut in iis perseveraret. Alia est gratia præveniens quæ præterquam quod conducit ad actum supernaturalem, juvat etiam ad tollendam ignorantiam, vincendas concupiscentias, & alia hujusmodi, qua proinde, ut ait S. Augustinus est potentior, illa lætior.

Alia gra-
tiam præve-
nientem po-
nunt multi
in homine
lapse, aliam
in innocente.

Alia gratia
est præter
hanc lætior.

III.
Diversis
modis Deus
hominibus
inspiratio-
nes infundit.

Deus im-
mittenda in-
spirationis
occursum
interdum
sumit à re-
bus creatis.

IV.
Ad singula
opera super-
naturalia
requiritur
gratia exci-
tans.

Notandum tertio: gratiam excitantem duobus modis à Deo hominibus concedi: primò dependentem à causis quibusdam creatis, occasionem quasi aliquam divinæ inspirationi præbentibus, non quòd occasiones illæ, aut cogitationes inde ortæ, physicè ad hujusmodi illustrationem determinant, vel ad auxilium, per quod eliciuntur infundendum, aut etiam auxilium hoc, vel habitus infusus ad operandum connaturaliter excitent, sed ad summum in genere causæ quasi moralis, quatenus nimirum Deus, illis positus auxilium istud & illustrationem immittit. Alio modo subinde immittuntur illustrationes, nulla scilicet datâ exterius occasione: quod tunc contingit, quando homini subitò, & nihil tale antè cogitantem inspiratio ad bonum aliquod præstandum immittitur.

His ergo positis probabilis mihi videtur, ad omnia & singula opera supernaturalia requiri gratiam actualem, seu illuminationem supernaturalem, quam excitantem vocamus, & non sufficere actum naturalem: ita Suarez 3. de auxiliis, cap. 5. Valentia hic, q. 1. punct. 6. Vasquez d. 197. Lorca. Alvarez d. 58. & alii plurimi.

Contrarium censet Ruardus art. 7. Molina q. 12. art. 13. Vega opusculo de justificatione q. 4. Belarminus lib. 6. de gratiâ & libero arbitrio, cap. ultimo, Coninck Disp. 13. de actibus, sect. 3. & alii, qui afferunt ad actum voluntatis supernaturalem elicendum non requiri cogitationem supernaturalem, sed naturalem sufficere.

Conclusio posita, sicut pleraque in materia de gratiâ, Conciliorum potius, & Pontificum definitionibus nititur, quam rationibus. Probatur itaque primò ex Concilio Arausicano, can. 5. ubi sic habetur: *Si quis sicut augmentum, ita & initium Fidei ipsum credulitatis affectum, &c. non per gratia donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram, nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, Beato Paulo dicente, confidimus, quia qui copit in vobis bonum opus, perficiet, &c.* Quod idem clariùs habetur can. 9. ubi dicitur: *Divini est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitiâ tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Concilium item Tridentinum sess. 6. cap. 16. ait, *Christum lesam tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites, in ipsos justificatos, jugiter virtutem influere, que bona eorum opera semper antecedit, &c.* Præterea Concilium Tridentinum ubique ad actum supernaturalem æquè requirit gratiam prævenientem, ac auxilium effectivum, sed hoc secundum omnes est simpliciter necessarium, ergo & illa.

Idem docet Cælestinus Papa in Epist. ad Episcopos Galliæ his verbis: *Præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium, quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humane singulari motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Notant verò omnes Theologi hujusmodi locutiones, quales sunt *Paterne inspirationes, tangere corda &c.* Peculiarem Spiritus sancti illuminationem significare, actumque in entitate supernaturalem.

Tertio probatur ex illo 2. ad Corinthios 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, seu quod ex se expedit ad salutem, ut explicant Patres, & Concilia; at si cogitatio naturalis excitare possit, vel auxilium fluens supernaturale in peccatore, vel alios habitus infusos in justis, possumus jam ex nobis aliquid cogitare prout expedit ad salutem, cum juxta hos auctores possumus ad actus supernaturales, & vitæ æternæ meritorios per nos excitari.* Confirmatur: sic enim peccator poenitere potest prout oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, sine gratiâ præveniente, contra Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. posset siquidem per actum naturalem excitare habitum spei ad elicendum dolorem supernaturalem ob metum poenarum, hic namque actus ob hoc motivum elicitus spectat etiam ad habitum spei. Confirmatur secundo, quia si cogitatio naturalis sufficiat ad excitandum auxilium illud tran-

V.
Docet multi
ad actum
supernaturalem volun-
tatis sufficere
actum natura-
lem in-
tellectum.

VI.
Ex Concilio
habetur ad
actum super-
naturalem
requiri gra-
tiam præve-
nientem su-
pernaturalem.

Vr bonum
operemur,
Deus in no-
bis operatur.

VII.
Cælestini
Papa aucto-
ritate osten-
ditur, ad om-
nem actum
supernatura-
lem requiri
gratiam su-
pernaturalem
prævenientem.

VIII.
Sequitur
contra Apo-
stolum posse
nos cogitare
aliquid ex
nobis prout
expedit ad
salutem.

Etiâ possit
quis sine gra-
tiâ præve-
niente poeni-
tere sicut
oportet.

fiens, aut habitum spei in peccatore, & alios habitus infusus in iustis, vera gratiâ præveniens esset superflua, ac proinde hæc, non ex ordinatione tantum divinâ, sed ex naturâ rei ad huiusmodi excitationem requiritur.

SECTIO SECUNDA.

Solutione argumentorum ulterius ostenditur ad actum supernaturalem voluntatis requiri actum supernaturalem intellectus.

I. *Obj. Cum homo habeat principium supernaturale, non videtur repugnare, ut voluntas per actum naturalem excitetur.*

Dari potest actus naturalis aequè clarus ac est actus supernaturalis; ergo potest excitare voluntatem.

II. *Ob peculiaritè perfectionem actus supernaturalis requiritur principium, non effectivum tantum, sed etiam determinativum supernaturale.*

Potest actus naturalis excitare voluntatem ad agendum naturaliter circa objectum supernaturale.

III. *Ex eo quod actus supernaturalis voluntatis requiritur simile actum*

OBJICIUNT auctores contrariæ sententiæ primò: si enim ad actum supernaturalem voluntatis requiratur actus intellectus supernaturalis, vel est ratione infirmitatis naturæ jam corruptæ, hoc autem dici nequit, ut supra ostendimus, cum appetitus non semper insurgat contra rationem, vel saltem non adeo graviter, ut non relinquat potestatem in homine bene operandi moraliter, ergo & operandi supernaturaliter, si in se habeat principium supernaturale sufficiens, ejusmodi actus elicivum: vel necessaria est cogitatio illa supernaturalis ob proportionem quandam, quia scilicet actus voluntatis supernaturalis ad sui existentiam connaturaliter exigit actum intellectus supernaturalem; sed hoc gratis dicitur, cum dari possit actus intellectus naturalis æquè clarus & intensus, ac supernaturalis, ergo ipso facto quod determinet potentiam in qua est, ad operandum circa tale objectum, determinabit similiter habitum infusum in eadem potentia existentem; nec enim determinatur habitus, nisi mediatè, mediante scilicet potentia. Quod argumentum majorem habet vim, supposito eo, quod supra diximus, nempe actum naturalem & supernaturalem circa idem objectum dari posse.

Respondetur, necessitatem hujus illustrationis supernaturalis non provenire ratione difficultatis, sed ratione perfectionis peculiaris actus supernaturalis, qui propterea exigit, non solum principium effectivum, sed etiam determinativum sibi proportionatum: hanc autem exigentiam colligimus ex argumentis jam positis, & auctoritate Patrum, qui in singulis actibus dicunt Deum, non solum operari nobiscum, sed etiam in nobis operari, præviâ scilicet suâ illuminatione, nos ad operandum excitando. Unde S. Augustinus lib. de naturâ & gratiâ, cap. 26. ait hominem, etiam perfectissimè justificatum egere luce justitiæ ad rectè vivendum, non minus quam oculus corporeus indiget luce corporali ad videndum. Licet ergo cognitio naturalis excitare possit voluntatem ad agendum circa objectum etiam supernaturale, quod proponit, non tamen ad agendum modo supernaturali, ad hoc enim plus requiritur, cum affectus aut actus supernaturalis excitari sympathicè non possit, nisi per actum sibi proportionatum ob rationes jam dictas. Et in hoc excedit actus spirituales naturales, qui interdum excitantur ab actu materiali, ut cum ab actu Phantasmatis, intellectus excitatur ad agendum.

Objicies secundò: hinc sequi processum in infinitum: si namque actus omnis supernaturalis prærequirit semper alium supernaturalem, in nullo sistetur, ergo dici necessariò debet sufficere actum naturalem. Respondetur negando sequelam, solum namque dicimus ad hoc ut unus actus super-

naturalis sympathicè & intentionaliter excitetur, requiri alium actum supernaturalem, per quod tamen non magis sequitur processus in infinitum, quam in actibus naturalibus, in quibus omnes affirmant, ut unus Sympathicè excitetur, prærequiri alium actum naturalem, ergo hic etiam ibitur in infinitum.

Notandum itaque, duobus modis actum aliquem vel intellectus vel voluntatis excitari, *Sympathicè* seu intentionaliter, & *Physicè* seu materialiter: primum tunc contingit, quando vitali quodammodo, seu per representationem aut tendentiam intentionalem in aliquod objectum actus alius excitatur: sic voluntas carpenti florem aliquem vel fructum exempli gratiâ, provenit ex actu amoris de illo tum præexistente, hic ex actu intellectus pulchritudinem seu bonitatem floris illius aut fructus representante, is ex phantasmate, phantasma ex actu visionis, ubi sicut series motionis intentionalis. Physicè tunc actus quispiam dicitur excitari, quando per principium aliquod merè effectivum applicatur potentia ad agendum: sic oculus excitatur ad visionem per speciem, intellectus beati per lumen gloriæ, & sic de aliis, in quibus etiam, sicut in intentionalibus datur aliquod primum.

Ad rem ergo præsentem, in actibus tam naturalibus, quam supernaturalibus deveniendum est ad aliquem actum, qui non excitatur intentionaliter, sed tantum physicè, ut in exemplis allatis constat. Dicimus itaque, ad primum actum supernaturalem infundi à Deo ejusmodi principium physicum, ut per se determinet intellectum ad objectum aliquod percipiendum, lumen nimirum aliquod intrinsecum, vel adjutorium seu concursum extrinsecum, juxta diversas sententias, per quæ effectivè illuminatur intellectus in viâ, sicut per lumen gloriæ illuminatur in patriâ. Hoc lumen subinde ita infunditur à Deo, ut nihil ex parte intellectus præcesserit, nonnunquam tamen (sive ejusdem rationis sit cum alio, sive non) supponit actus aliquos naturales præcessisse, quo sensu dicitur Fides ex auditu. Nec mirum est aliquid supernaturale supponere dispositiones naturales, cum & gratiâ & habitus omnes infusi supponant subjectum naturale. Quantumcunque verò à parte rei ponantur hi actus naturales, actum nihilominus huiusmodi supernaturalem non exigunt, ut supra diximus. Actus tamen supernaturalis, utpote multò perfectior naturali, & eminenter cum continens, posset in aliquo casu ad actum naturalem excitare.

Hinc infero, etiam in Angelis, & homine innocente, necessariam fuisse gratiam prævenientem ad actus supernaturales meritorios exercendos, diversæ tamen rationis ab eâ quæ nobis plerumque conceditur; in illis enim nullæ erant concupiscentiæ, nec difficultates, quibus modo subjacet humana natura. Et hoc solum est, quod vult S. Augustinus, & alii ex Patribus, dum specialem hanc gratiâ prævenientis necessitatem aiunt ex corruptione naturæ esse ortam, & in Adamo in statu innocentie non existisse; solum etenim negant Adamum ejusmodi gratiâ indignuisse, qualem nos habemus, nempe ad vincendas concupiscentias, & ad motus contra rationem insurgentes compescendos, quod confirmatur ex illis Divi Augustini verbis de corruptione & gratiâ cap. II. Ille, inquit, nempe Adamus, in paradiso non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iusti, cum dicunt, video aliam legem in membris meis, &c. solum ergo negat indignuisse cum ejusmodi gratiâ, quæ nos in naturâ lapsa, non tamen indignuisse omni.

Intellectus, non sequitur processum in infinitum.

IV. *Duobus modis excitatur actus, sive intellectus, sive voluntatis, intentionaliter vel physicè.*

Declaratur excitatio intentionalis.

Excitatio Physica.

V. *Ad primum actum supernaturalem infunditur à Deo principium physicum.*

Hoc principium, seu lumen à Deo infusum, præcedit actus aliquos naturales intellectus præcessisse.

VI. *Gratia præveniens, quæ Angelis & homini innocenti fuit necessaria.*

Quo sensu negent Patres gratiam prævenientem fuisse Adamo necessariam.

SECTIO TERTIA.

Vtrum justus egeat novâ gratiâ ad perseverandum.

I. DICENDUM breviter cum communi sententia Theologorum, ut quis justus in gratiâ acceptâ ad finem usque vitæ perseveret, & salutem consequatur, peculiarem Dei gratiam, vel sanctæ cogitationis, vel saltem externæ protectionis requiri: ita Suarez lib. 3. de prædeterminatione cap. 3. Vasquez hic d. 197. & alii.

II. Prima pars de gratiâ sanctæ cogitationis statuitur pro adultis, si nimirum diuturno aliquo tempore post acceptam justitiam vivant: cum enim militia sit vita hominis super terram, occurrunt frequenter tentationes, ad quarum victoriam necessarium est adjutorium divinum, de quo adjutorio loquitur Concilium Tridentinum ses. 6. can. 22. dum ait justificatum sine speciali Dei auxilio in acceptâ justitiâ perseverare non posse. Hoc etiam probat S. Augustinus ex illo Jeremiæ 32. v. 40.

S. Augustinus. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me,* quod similiter perpetuò postulam in oratione Dominicâ, ut scilicet Deus gratiam illuminationis & sanctæ inspirationis nobis immittat, per quam facilius tentationes vincere possimus, aut exterius nos ab iis protegat, ut hoc pacto justitiam ad finem usque vitæ retineamus, quæ est perseverantia finalis seu objectiva, causalis autem est cogitatio congrua, quæ efficit, ut hoc modo in gratiâ quis ad ultimum instans perseveret.

III. Secunda pars de gratiâ externæ protectionis ponitur præcipuè pro parvulis, qui ante rationis usum è vitâ decedunt, utpote quibus gratia sanctæ inspirationis immitti non potest. Aliis nihilominus

competit hæc protectio præterquam parvulis. Unde universim dicimus specialem esse Dei favorem subtrahi è vitâ in statu gratiæ. Probatur ex sancto Augustino de bono perseverantiæ cap. 17. ubi sic habet: *Videte jam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiæ usque in finem hujus vitæ, cum vitæ hujus, cum voluerit ipse det finem, quem si det ante imminet lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.*

Variis autem hoc modis contingit: Deus namque aliquando ex peculiari misericordia mortem justorum accelerat, videns si diutius viverent, fore ut in peccatum laberentur, & perirent, juxta illud sapientiæ 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, & postea propter hoc properavit educere eum* &c. quæ verba de justis immaturâ morte sublatis intelligit S. Augustinus de bono perseverantiæ, iisque ad hoc ipsum probandum utitur.

Tertiò tandem contingit ut non causarum tantum naturalium, sed liberarum etiam interventu justus moriatur, idque per scelerati alicujus facinoris perpetrationem, quod tantum abest ut videret Deus, ut etiam prohibeat. Dico tamen, etiam in hoc casu non deesse gratiam, & providentiam Dei non quidem positivè disponentis, sed permittentis istiusmodi facinus in iis circumstantiis, in quibus videt tantum boni huic homini proventurum, & ea intentione, mala illa indirectè permittit: qua ratione in tractatu de Incarnatione & prædeterminatione ostendi Deum ex complacencia in Christo & illius gloria permisisse indirectè peccatum Adæ, & ex affectu Beatitudinis, poenitentia, &c. indirectè subinde permittere peccata; hoc est videns Deum tantum boni inde eventurum, minus ab illorum permissione retardatur, & hoc sensu libentiùs, vel saltem minus illibenter ea permittit, alioqui non permissurus, ut latius declaratum est locis citatis.

vis præcipue parvulis, omnibus tamen competit.

IV. Deus interdum ex sua bonitate justorum mortem accelerat.

V. Quid censendum quando justus casualiter liberarum interventu moritur.

Quando scelerati alicujus facinoris perpetratione justus ex hac vitâ solitur, nihilominus non in hoc deest providentia divina.

